

Bibliothèque numérique

medic@

**Thierry, Alexander. - De causis,
differentiis et effectibus
combustionum in vivi partibus
corporis, et de earum medelâ tam
internâ quàm externâ**

1830.

Paris : Ex typis E. Duverger

Cote : 90975



Licence ouverte. - Exemplaire numérisé: BIU Santé
(Paris)

Adresse permanente : [http://www.biusante.parisdescartes
.fr/histmed/medica/cote?90975x1830x02x12](http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?90975x1830x02x12)

COMPETITIO AD AGGREGATIONEM

JUSSU OPTIMI REGIS,

ET EX MANDATO PUBLICÆ INSTRUCTIONIS MINISTRI,

INSTITUTA ANNO M. DCCC. XXX.

*De causis, differentiis et effectibus combustionum in vivi
partibus corporis, et de earum medelâ tam internâ
quàm externâ.*

THESIS

Quam, Deo favente, in saluberrimâ facultate medicâ parisiensi,
præsentibus competitionis iudicibus, publicis competitorum
disputationibus subjiciet et dilucidare conabitur

ALEXANDER THIERRY,

DOCTOR MEDICUS.



PARISIIS,

EX TYPIS E. DUVERGER,

VIA VULGO DE VERNEUIL, N° 4.

M DCCC XXX.



JUDICES:

D. DELENS, PRÆSES.

D. D. BOUGON.

DESORMAUX.

DUPUYTREN.

ORFILA.

RICHERAND.

BAUDELOQUE.

LISFRANC.

COMPETITORES:

DOCTORES:

MAINGAULT.

LECORCHÉ COLOMBE.

SANSON.

DELMAS.

HALMAGRAND.

BOYER.

JOBERT.

DOCTORES:

MARÉCHAL.

LAUGIER.

GUERSENT.

GINIEZ.

THIERRY.

VIDAL.

BERARD.

DE CAUSIS, DIFFERENTIIS ET EFFECTIBUS COMBUSTIONUM IN VIVI PARTIBUS CORPORIS, ET DE EARUM MEDELA TAM INTERNA QUAM EXTERNA.

Combustio vivo in corpore generaliter spectata, in eo stat quod aliqua corporis hujus pars impetu quodam calorigi affligatur, quoque modo et qualicumque effectu vis illa ingruat.

Caloricum quippe membra animata potest offendere quin aliud corpus intersit; ut videlicet solis æstu aut alio quolibet fervore radii percutiunt seu per se, seu lenticulâ vitræâ convergere cogantur; ex quibus etiamsi adustio non subito erumpat utpotè non satis intensis, simul quia membra paulatim assuefacta indurescant, tamen nihilominus in his graves incumbunt alterationes, sic agricolis pellis nigrescit atque asperatur; itidem viri Cyclopi laboribus intenti immò et senes ad focum sæpius sedentes quorum crura maculis fœdantur versicoloribus, indè plerumque squammæ, ulcerationes et alia hujus modi quibus sanandis vix sufficit aliquandò ars medicorum.

Verum et id crebrius accidit calorica pestis inseritur vi extraneâ corporis ejusdem sive sit solidum, aut liquidum, aut *spirituali aurâ* conflatum; quorum porro naturâ necesse est ut ingravescant atque altiùs hæreant adustionum plagæ.

Sic vapores et cuncti quilibet spiritus ex chimie mixtionibus aut ex pulveris pyriæ incensu halantes; sic quoque hydrogenum quod modò sulfurum in latrinis, modò carbonatum in lampadibus contactu flammæ, aliquo-

tiès erumpit, ex indè et tot aliis talibus oriuntur adustiones non tam quidem penetrabiles, quàm latè per hominum corpus diffusæ.

Corpora autem liquida eò magis solent inurere quò et plus ardoris æstu concipere et simul magis pelli adhærescere possunt. Sic aqua ebulliens magis inurit quàm æthera aut alcoholi; eadem verò minùs flagrabit si pura est quàm si misceantur in eâ res quæ pelli magis hæreant ut olæa, adipēs; vel quæ per se sint caustica et irritantia qualis est natura acidorum, alkalium, salium, etc. Quædam corpora sic cantharides, folia, cortices quaramdam arborum vesicando agunt et eosdem effectus quos calor determinant.

Jam verò idem fermè inest corporibus solidis agendi modus ac liquidis. Quorum quippè intensior est vis quò plus calorici conductiva sunt, eademque plures in partes divisa et minutata, metalla scilicèt; vel etiam, si in fusionem solvuntur dùm flagrant ut phosphorum, sulfur, pices.

Atque iis causis ad rerum essentiam pertinentibus alias addere licet et quidem duas imprimis, nimirum rationem temporis quo pelli contactu ignis incaluit, tum pelli ipsius naturam et conditionem. Ad contactum pertinent omnes causæ quibus ille diutiùs durare potest: scilicet vestium conflagratio, quinimmò si quis in focum ardentem incidat aut in plenum vas ebullientis liquidi; aut si idem profugit terroreamens incensas vestes nullatenùs extinguere conatus, quod accidit mulierculis et pueris. Necnon est in quibusdam talis nervorum affectio ut sint hebetes sensationi ardoris percipiendæ: ita est ebrietas et quod frequens est apud vetulas mulieres quæ priùs præfocatæ suppositis carbonibus (vulgò *chaufferettes*) dein collapsæ tradunt ipsæ et membra et vestes incendio. His adde epileptici casum, quò doloris jam non conscius, malum ignotum nullo modo amovere tentat. Atque hîc præcipuè adnotandum est epilepticos concussus sæpè suspensos inter remedia combustionis denuò recurrere ut antea post confectam sanationem, quo videre est quàm impar sit ignis ut hujus modi pestis ernatur.

Nunc ad naturam pelli combustæ pertinet si contextu magis aut minùs denso in hâc parte constet habitâ ratione variarum corporis partium, ut et ætatis, sexûs et constitutionis, sic utique pueri, mulieres levi et tenui epiderme præditi citiùs et altiùs lædantur quàm viri et quoscumque crassa et dura culis tuetur.

Queis verò causis addamus textum cellularem adipis magnâ copiâ distensum, aut varias corporis partes alcohole quasi imbibitas. Ne quis putet nos his gravem et ancipitem quæstionem dirimere quæ potiùs physiologiæ

est quàm medicæ artis, an viva corpora sponte suâ suomet incendio consumi possint, id est absque ignifero contactu. Dicere licet apud quosdam obesos, alcohole quasi plenos, rapidam deflagrationem accidere, eâdem causâ quâ levior apud alios combustio nasceretur.

Expositis combustionum causis et earum applicationis modis, nunc dicendum qui sint illarum in viventia texta effectus. Ex his varios combustionum gradus distinguemus; et ideò veteres rejiciemus divisiones, quæ in causis reponunt.

Plerique chirurgi necesse agnoverunt diversos in combustionione gradus ex læsionibus anatomicis distinguere. Ita Heister quatuor admovit gradus: « Primus quidem atque minimus ille nobis videtur, quando membrum corporis adustum cum robore atque colore dolet pustulamque supereminentem post elapsam breve temporis spatium ostendit. Alter gradus is est, quando statim ab ambustione pustulæ cum insigni dolore prorumpunt. Tertius, quando cutis eidemque subjecta pinguedo vel etiam caro sic aduruntur, ut crustam statim referant, quod corpora cadentia plerumque facere solent. Quartus denique is dicitur ubi ita vehemens ambustio contigit, ut nihil ferè non ad ipsum usque os perierit. Tertius gradus gangrænæ; quartus autem sphacelo non absimiles videntur. Undè simul illud liquet. Nempè ambustiones quàm proximæ ad inflammationum similitudinem, accedere iisdemque propemodùm signis unumquemvis ipsarum gradum dignosci. » (*Inst. chir.*, Laur. Heisterii.)

Similiter quatuor apud Callisen gradus invenimus; qui quidem melius circumscripti videntur. « In priori, inquit, gradu, levi rubore ac dolore urente absque tumore notabili et febris adficitur pars adusta, qui tamen brevi tempore spatio, ut plurimum dissipantur. In secundo gradu dolor, tumor, rubor, longè majori gradu adsunt, si majoris extensionis fuerit ignis actio aut sensilius fuerit subjectum, febris simul accenditur consensualis, ac brevi temporis spatio simul prorumpunt vesiculæ, humorem limpidum subflavum continentes. In tertio gradu gravissima inflammationis signa adsunt, febris acutissima, dolor atrocissimus. Haud infrequenter in sensilioribus subjectis, spasmi simul indicuntur. Ambustiones mox sequuntur vesiculæ majores, aut epidermis de parte affectâ secedit. In maximo ambustionis gradu, partes læsæ omni vitæ dote privantur et aut gangrænam subeunt, si humidum fuerit corpus amburens, aut necrosim, si siccum fuerit, quod malum vel mox succedit, vel accedit post gra-

vissimam inflammationem, sive superficialem, sive profundam, cum gravi phlegmone semper conjunctum. In universum leviores combustiones magis sunt dolorificæ quàm graviores, quibus vis vitalis supprimitur vel extinguitur. (Callisen, *Systema chir. hod.*)

Professor Boyer tres gradus numerat : Dans le premier degré, l'effet du corps brûlant est borné à une vive irritation qui altère les humeurs dans la partie. Il en résulte une inflammation cutanée, qui tient du caractère de l'erysipèle. Si le corps brûlant agit plus fortement, non-seulement il irrite mais l'irritation qu'il produit est si vive qu'elle détermine des phlyctènes qui mettent à découvert les houpes nerveuses de la peau, et il s'ensuit un ulcère superficiel semblable à celui que produit l'application d'un vésicatoire. C'est le second degré de la brûlure. Enfin, si le corps brûlant agit avec plus d'énergie encore, et que la durée de son application soit plus longue, il désorganise la partie qu'il touche, et cette partie suivant la nature du corps brûlant est couverte en une escharre croûteuse, ou bien n'est pas desséchée et devient d'un gris jaunâtre. Dans l'un et l'autre cas, les phénomènes de la vie disparaissent. (Boyer, *Traité des malad. chir.*)

Duos tantum ordines agnoscit professor Marjolin, in combustionis effectibus, inflammationem scilicet et immediatam desorganisationem.

Omnes illæ divisiones, quanquam quidem de optimo principio oriuntur, minùs in partium intimâ structurâ reponere, nec sat præcisè combustionis varios effectus distinguere nobis videntur. Idcirco anteponendam judicamus divisionem in sex gradus à professore Dupuytren admissam, quia maxima in hac præcisio occurrit, ex quâ practica commoda fluunt.

Combustio semper agit in principio super corpora spirantia, tegumentum vel externum, vel internum, afficiendo.

Primus combustionis gradus. Rubefactio pellis pars æstu læsa rubore afficitur, itidem urentis doloris ac pruritûs sensum fert prout ista pars solet aut vestimentis defendi, aut afflatu aeris obdurescere. Quibus quidem post aliquas horas aut dies cuticulæ desquamatione finis imponitur. Generalia plerumque absunt symptomata, nisi tamen maxima pellis pars rubefacta doleat et sympathicè irritet totum corpus, undè sitis, corporis ardor, febris.

Secundus gradus. Vésicatio. Si verò pellis majore affecta calore fuerit, vividior inflammatio nascitur, cujus causâ affluit lympa et sese sub cuti-

culâ diffundit; undè phlyctænæ quæ laceratæ liquidum flavescens aut rubidum aliquoties sanguinolentum profundunt; nunc istæ parvulæ et crebræ apparent, nunc epidermi lymphâ sufflatæ tumoris species erigitur. Nihilominus singulas circà ampullas plus minùs cutis rubescit, aliquot post dies collabuntur, dehiscunt, corpus que reticulare detegunt novâ armatum epiderme. Si principio contrà phlyctænam avellas, paululùm sit supurationis et plerùmque nulla cicatrix plagæ vestigium manet, nisi improvidâ et ignarâ experti curatione. Plus in hoc gradu quàm in illo inest doloris, præsertim si ruptâ cuticulâ reticulare corpus aeris contactui sese indefensum præstet.

Symptomata autem generalia sicut suprâ deesse possunt, iisdem nempe conditionibus obnascuntur.

Tertius gradus. In hocce gradu cutis superficialia strata, calcris impetu penetrata, vitalem structuram amittunt. Fit ergò escharra flavens seu albida cujus materies est corpus reticulare cum parte tantummodò dermatis. Escharræ superesse illamque circumdare solent ampullæ, quibus quidem ablatis invenies seu reticulare corpus penitus flammâ occisum, seu partim sanum, partim dirutum.

Hic adnotandus præsertim dolor qui primùm intensus posthac intensus, sedatur, mox reviviscit et auget ad escharram expellendam. Quoniam in hoc gradu formata est escharra et expellendum est omne corpus alienum, ideò advenit inflammatio, quam eliminatorium laborem vocat professor Dupuytren. Circùm scabrim post tempus longius breviusve, secundùm plagæ altitudinem, et subjecti constitutionem, surgit ruber circulus, qui mortuam de vivâ parte separat. Jam scabres ad circuli fines tollitur, cùm ad centrum adhuc corio adhæret. Postquàm autem omninò sublata fuerit, rubra manet superficies granosa, partim saliens, partim depressa; quæ corio formata cicatricem portat. Hæc, si parùm extensa fuerit plaga, aut commodè positæ fuerint oræ, per earum reductionem advenire potest. Si contrà latissima plaga, si malè positum membrum, novum propter cicatricem formatur corpus mucosum, novaque cuticula ex papillis quæ de plagæ fundo surgunt. Tùm cicatrix primò rubra, mox alba evadit, nec unquàm ut autèa sensibilis neque mollis.

In hoc gradu, si adveniunt symptomata generalia, graviora quàm in prioribus gradibus aderunt. Cùm autem parùm extensa plaga, desiderabuntur.

Quartus gradus. In quarto gradu, cuticula, corpus mucosum, corium, aliquandò etiam subcutaneum textum cellulare morte afficiuntur. Semper verò aponevrosibus, musculis tendinibusque parcit. Scabres apparet subflava, sicca, tensa, cornu similis, sonora, ad fines rugosa. Non semel cum tertii gradus scabri eam confundas; sed nemini dubium licet, cum jam de partibus vivis fines eliminatorio labore separati sunt. Nempè in tertio gradu dimidiâ lineâ, aut lineâ tantum spissâ videtur; in quarto lineâ, et sæpè alterâ. Tardiùs quàm in præcedenti gradu formatur eliminatorius labor. Qui primò corpus mucosum et mox subcutaneum textum cellulare seriùs autem corium, quod minùs vivum est, separat. Ità ut jam sub scabri existat pus, priusquàm corium dejungatur. Non æquè semper tollitur scabres; in quibusdam locis per filamenta adhuc retinetur, dum in aliis non hæret. Deniquè ad decimum sextum vel ad vicesimum diem cadit. Tunc si plagam attendas, animadvertes ad fines subrubram zonam mucoso corpore formatam et interiorem circulum albidum aut roseum quem corium inæquè sectum fingit, et ad centrum rubram granosamque superficiem subcutaneo texto formatam.

Difficiliùs in hoc casu quàm in prioribus efficitur cicatrix, quia plagæ fundus corio caret, quo portetur. Adjiciendum est quoque quòd faciliùs quàm antea oræ ad convergendum tendunt. Verum, seu convergentibus plagæ oris, seu formatâ novâ cute cicatrix habetur. Tum oræ primùm convergere incipiunt, vicinasque partes ad se attrahunt, sed ob nimiam substantiæ deperditionem adjungi nequeunt, ideòque de summis papillis quæ plagæ fundum occupant, exurgit vera recensque pellis corio, mucoso corpore cuticulâque ut alibi formata.

De circuli finibus ad centrum fieri solet cicatrix, et aliquandò passim in plagâ insulæ quædam apparent, quæ curationi multum favent.

Quæ nova cutis formatur, non admodum perfectam, ut antè, plagam deprehendas. Magis tenue est corium, minùs ad extensionem aptum corpus reticulare, cuticula frequenter desquamatur et reparatur. Desunt pili qui protegant, folliculi qui madefaciant. Itaque cicatrix externis corporibus malè resistit; si sæpiùs frices, laceratur; si fortiùs movearis, statim rumpitur. Tunc verò quidem promptiùs quàm ambustionis tempore reparari solet, quia, cum rumpitur cicatrix, non destruitur reproductum corium.

In hoc ambustionis quarto gradu, dolor, ubi cessavit causa, et ipse

cessat. Renovatur verò, cum incipit eliminarius labor, id est ad quartum quintumve diem. Decimo autem vel duodecimo die, vel tardiùs etiam, scabres omninò cadit; nam apud senes non semel post sex menses tantùm cecidit crusta, caustico corpore facta.

Nulla, si parvissima sit plaga, videas generalia symptomata; si appareant, cum ambustionis extensione erunt consentanea. Si largior superficies, per eliminarium laborem et formandi puris tempus, invadet gravissima febris; tunc sæpiùs accidunt stómachi intestinorumque inflammationes, et ventris fluxus tenacissimi.

Quintus gradus. In hoc gradu combusti fuerunt pellis, cellulare textum subcutaneum, aponevroses, muscoli, tendines usque ad ossa: crusta est nigra, inflexa, oleacea, et quasi vetus corium sonat. In principio eam de quarti gradus combustionis crustâ distinguas. Sed ex plagæ altitudine judicabis qui fuerit gradus; cicatrix ut in quarto circumscribetur, sed tardiùs. Et quoniam non reproduci possunt certæ partes, ut tendines, muscoli, nervi morte affecti, ideò alterabuntur, et plus minùsve in parte adustâ imperfectæ manebunt sentiendi et movendi facultates. Propter etiam hanc rationem de quarto quintum gradum distinxit professor Dupuytren. Quilibet enim ad dirigendam cicatricem modi adhibeantur, nunquàm partes motus suos recuperare poterunt.

Generalia autem symptomata clariùs quàm in primis gradibus apparebunt; et eadem eorum erit natura.

Sextus gradus. In hoc extremo gradu combustum fuit totum membrum aut qua corporis pars, et ipsa ossa. Rarò natura mortuas partes de vivis separare potest. Tunc sæpè mors ineluctabilis. Non semel quidem via salutis, membri amputatio.

Hi sunt quos ex professore Dupuytren admittimus ambustionum gradus; quiquidem rarò soli reperiuntur, sæpissimè contrà in eadem plagâ, duo tresve simul adsunt, aliquotiès etiam unà omnes.

In variis partibus tegumenti externi de effectibus tractavimus. Nunc tegumentum internum adustum in variis gradibus inspicendum est. Ità, membranarum mucosarum major fuerit rubefactio, quod capillaritate tegumenti interni accidit. Causâ remanente, inflammatio chronica supervenit. Irritatio acutior in gradu secundo constituitur. Absente in quibusdam partibus epiderme, corpus reticulare minimè defenditur. Ideòque combustio gravior. Symptomata terribilia post corium destructum acci-

dunt. Sæpè, sæpissimè in illis gradibus mors superveniet. Deniquè, texturâ canalîs intestinalis perfectè combustâ perforatio ejus occurrit, nisi labor eliminâtorius inflammationem adhæsivam producat.

Diagnosis. Cùm quæ sint uniuscujusque ambustionum gradus indoles exposuimus, ferè omninò agnoscendum morbum dedimus. Una mansûra est erroris aut dubii via, nempe cùm qui sit, dato casu, gradus pronuntiare debeat chirurgus. Atqui sæpissimè ad ferendum judicium expectanda erit crustæ incepta separatio.

Prognosis verò de ambustionis naturâ, situ, de subjecti statu, variisque complicantibus morbis pendet.

1° *Ambustionis naturâ.* Omnibus alioquin æquis, quò extensior altiorque plaga, eò gravior. Si magna corporis superficiei pars, licèt primo ambustionis gradu, occupata, mors evenire potest. Si minùs extensa, sed altior et tertio quartove gradu sit combustio, mors quoque timenda. Ex urentis corporis naturâ variari quoque judicium sæpiùs poterit. Alioquin, quò minùs extensa minùsque alta plagæ figura, eò facilior promptiorque curatio.

2° *Situ.* Gravior erit ambustio, si propè organa quorum formidanda sit inflammatio, sedeat. Ità si in capite, timenda meningum irritatio; si grandium vasorum in vicinio, sanguinis eruptio; si ad faciem, difformitas et curatio difficilis; si propè naturalia ora, oclusio; in membris deniquè, permanens imperfecta mobilitas.

3° *Subjecti statu.* In ambustionem curandam influere possunt ambusti ætas, valetudo, mens, chronicique morbi plagæ prævi, quibus perturbari labor impediri que curatio potest. Puer, quia indocilis est, senex, quia debilis, difficiliùs sanabuntur. Cùm sanguinea est constitutio, formidandæ sunt inflammationes; cùm nervosa, convulsionones, *tetanos*. Mulieri in utero gerenti, periculum ne abortiat. Curationi quoque nocebunt continuus pavor, proximæque mortis sensus.

4° *Complicantibus morbis.* Chronici morbi quibus ambusti vires debilitatæ fuerint, vitiaque interna quibus infectus sit, curationem tardare, cicatrici obnuere aut eam invadere poterunt. Nuper enim, verbi gratiâ, apud nosocomium Dei mulierem in antibrachio extentissimum carcinoma in priscâ combustionis cicatrice insidens gerentem, cujus ideò brachium amputatum fuit, vidimus.

Ut antea diximus, mors sæpissimè combustionem sequi potest. Variis

autem temporibus accidet. Nunc æger stupore affectus omnique sensu carens immediatè succumbit, quia cerebrum fortiùs commotum est quàm ut reagere queat. Nunc post aliquot horas inter atrocissimos dolores perit, quòd nimia reactio quàm ut feratur. Tardiùs etiam aliquandò moritur, cùm incipit eliminatorius labor. Aut si vires inflammationi comitanti resistunt, eam adeò acrem non semel videas ut partes morte afficiat. Tunc recentiores escharræ gangrænâ productæ prioribus crustis ambustione formatis adduntur. Deniquè cùm pus maximè abundat post separatas crustas, periculum est ne æger obeat. Postquàm autem de pure nihil timendum, non idcirco absolutè tutus. Nempè per colliquativam diarrhæam hecticamque febrim intereuntem eum sæpè videre est.

Quinque illa lethalia designata sunt, stuporis, irritationis, inflammationis, suppurationis, enervationis tempora.

Quid dicam de mirandis illis casibus in quibus, cùm jam formata est cicatrix, mors subitò supervenit, nullâ observatâ istius finis causâ?

NECROPSIS.

Cùm immediatè perit homo combustus, si anatomicè cadaver investigaris, in cerebri membranis serosus sanguinolentusve affluxus occurrere solet, non autem vera meningum inflammatio, nisi mors certo elapso tempore acciderit.

Si jam declarato inflammatorio labore æger obierit, constanter invenitur digestivi canalis irritatio, variabili gradu.

Si perierit jam formato pure aut viribus jam deficientibus, in digestivo canali præsertimque in intestino crasso ulcera plus minùsve numerosa, lataque reperias.

Reperiuntur quoque sæpè pleurarum pulmonumque inflammationes, quæ ambustionem complicantes potiùs quàm eâ productæ habendæ sunt.

CURATIO.

Antequàm explicemus quæ remedia combustioni opponenda sint, dicere liceat quonam modo ab eâ præservari quisque possit. Ità, si fortè cujuspiam vestitus inflammatur, adeò si potest, mentis sit compos ut humi se volutet, vel lecti tegumento involvatur ad id ut flamma opprimatur

neque per imprudentem agitationem aere excitetur. Matres quæ infantes alunt et educant, ante focos poni intertexta ferrea filamenta curent.

Inter autem combustionis curandæ rationes prima occurrit causæ eripiendæ necessitas. Prudenter igitur tollendæ sunt vestes ne ignem propagent; ita tamen ut elevatæ cuticulæ parcas. Si per os absorptum est corpus comburens, per vomitum aut purgationem expellatur, sive adjuvante chemicâ affinitate, per corpus oppositâ facultate donatum neuter fiat effectus.

Considerari potest curatio sive sit generalis seu interna, sive localis seu externa. De hac primum ratio erit, et patebit medelam variis combustionis gradibus accommodandam esse, et qualis practica utilitas ex distinctione professoris Dupuytren floreat.

Quod primum combustionis gradum spectat obviam ire inflammationi, illam autem debellare si supervenerit indicatur. Quod quidem impetrabitur mersâ parte læsâ in frigidam aquam, addito etiam aceto aut subacetate plumbi; super applicatis seu linteis imbibitis æthere, alcohole, solutione sulfatis ferri, aluminii, seu allio sativo aut solano tuberoso attrito.

Eadem in secundo gradu tentanda sunt, compressio etiam commodè adhibita est; præterea acie ampullæ pungendæ sunt ad lymphæ effusionem, sed caveas ne dilaceretur epidermis et corpus reticulare indefensum maneat: quippè acerrimi nascerentur dolores.

Si vivida superveniat inflammatio topicis emollientibus addito laudano sedabitur. Si pus, plaga cerato simplici, opiacæo, saturnive tractabitur. « Saturnina tamen, ait Callisen, si major superficies epidermide orbata fuerit circumspectum usum poscunt partim ob resorptionis periculum, partim cùm citò siccato his remediis vulnere sæpè fœda cicatrix rugosa, inæqualis remaneat. »

In tertio et quarto gradu eadem indicantur, variis combustionum speciebus accommodata. Ea sunt scilicet.

Inflammationi eliminatoriæ et escharræ separationi invigilare.

Plagam attentè curare, et cicatricis formationem dirigere.

In uno quoque gradu, si violentior est labor eliminativus per topica emollientia placandus erit; quibus, si acrior est dolor, associandum est opium. Si contrà languescit inflammatio, per tonica remedia excitanda est.

Non autem obliviscendum istis excitantibus applicatis sæpè accidisse erysipelates vagos qui plagæ margine orientes ferè nunquam eo, quo nascuntur loco circumscribuntur, sed pedetentim maximam corporis superficiem in vadunt et mortem afferre queunt. Optimè curantur illi erysipelates per vesicatoria volantia quibus figuntur. Cùm mobilis evasit crusta, et per aliquot filamenta tantum adhæret, quæritur an incidenda sint illa filamenta quò promptiùs separetur. Auferendæ tantummodò cum forcibus sunt partes minimè crustæ adhærentes. Si enim incidantur filamenta et ità acceleretur escharræ separatio, distrahuntur plagæ margines quia cum subjacentibus partibus nondum adhærent. In quarto quintoque gradibus, in quibus sub escharrà pus formatur secunda est crusta, et danda puri via, quod aliàs, in textu cellulari discurrens, organa denudat. Multis igitur incisionibus evacuandum est quod sub crustis manet.

Crustis dejectis ut curetur plaga, ejus margines cum fasciculis ærato indutis et fundus cum linamento teguntur. Idcirco minima plaga facillè tractatur, difficillè contrà quæ magnum spatium occupat. Longæ plagæ amplis fasciculis linteï perforati linamenti magnâ copiâ ornatis involvendæ sunt, illis ultrà suppurantibus curationem tam matutino tempore quàm vespere dabis; quoniam frequentissima curatio multis doloribus cruciat, nisi causa urgeat, quotidiana solummodo anteponenda est. Ut dolor leniatur, maximâ patientiâ uteris; cum aquâ tepidâ plagam irrigando, per partes apparatus gradatim ac leniter demittes. Illos chirurgos obturamentis linteï armatos totam secretionem plagæ exprimentes repudiare debemus; quippè qui, cùm tali modo agunt, cicatrici nocent, nam lympham formatricem et salutarem repellunt.

Non promptiùs reprimendæ carnes exuberantes adjuvante caustico, ut nitrate argenti. Necesse est cicatricem obtinere tam largam quàm possibile. Si plaga directionem flexionis vel extensionis, abductionis vel adductionis occupat, directio contraria plagæ opponetur. Attamen in quibusdam casibus, hoc impossibile est; in illis omittenda est difformitas; nam si tam larga esset plaga ut conatibus ad formandam cicatricem sufficere non posset æger, obiret. Si plaga combustionis circumferentiam membri attingat oportet ut illud tam in flexionem, quàm in extinctionem, in abductionem, quàm adductionem alternatim dirigatur; ità cicatrice effectâ, motus imperfectè quidem, saltem remanebunt. Combustione largâ ad partem an-

teriorem colli sitâ, mandibula inferior stabilis quâdam fasciâ efficietur.

Combustionibus aperturas naturales occupantibus tali modo agendum est ut illæ servantur, et cicatrices super fistulas et varia ellychnia formentur. Difficile est cicatrices faciei aptè dirigere. Chirurgus difformitati se opponet ligaturâ ciliorum et fasciis agglutinosi aperturas distrahentibus. In illis præsertim cicatrices sæpè per causticum properare indicatur. Cum chirurgus minimè potest bonam cicatricem obtinere nisi multis doloribus, qui ad mortem ægrum ducerent, utile est difformitatem sociam sanationis proximis prænuntiare.

Tam firmas, tam largas, tam adherentes cicatrices observavimus ut imprudenter dividantur. Attamen in quibusdam casibus renovandæ sunt. Tum filamenta nonnullis incisionibus secanda sunt, tum evellenda; positio apta partibus sectis dabitur; ad hoc varia instrumenta inserviunt. Chirurgus naturales aperturas clausas incisione renovabit et novam cicatricem variis modis diriget. Apud quasdam aperturas, cicatrix super corpus alienum formanda est.

Cum latum membrum vel magna copia cutis combustionibus destructa sunt, constitutionem, ætatem, vim, interroga, ut pro certo teneas an membrum amputandum sit, nec ne; an vires labori eliminatorio sufficere possint: in illis rerum cognitor et moderator qui multa ac rectè vidit agnoscitur.

Postquàm cicatrices primitivæ vel renovatæ curâ chirurgi perfectæ efficiuntur, ad illas molliendas fomentationes, frictiones, embrocationes oleaginosæ adhibendæ sunt, et aquæ cadentis fontibus partes supponendæ.

Tegumenti interni in combustionibus, causâ sublata vel perturbata sicut in mucosarum membranarum inflammationibus, agendum est.

Apud externum tegumentum, si minima vel superficialis combustio, interna medela nulla adhibenda est. Hanc autem medelam adhibere oportet, si magnam superficiem altitudinemve invaderit combustio; sic in principio diæta rigida, potus emollientes et frigidi, animi corporisque quies, liberalior opii usus ad dolorem propellendum præstantissima sunt. Si febris vehemens si æger robustus, phlethoricus, venæ sectione sanguis emittatur. Contrà autem maximè extensâ vel profundâ combustionibus, copiosissimâque suppuratione prævisâ, parcissimè mittatur sanguis; largis enim atque repetitis sanguineis evacuationibus, ægri vires frangerentur, et ipse ad copiosam

suppurationem sustinendam imbellis, occumberet. Hoc in occasu, potus, diceta, quies præsertim adhibenda sunt.

Suppuratione constitutâ, febre penitus cessatâ vel maximè mitigatâ, alimenta, potiones nutritives non deneganda sunt, sed parcâ manu, etenim nimis abundantibus alimentis, carnis luxuria et curationis cunctatio, viscerum inflammationes, apoplexis accidunt.

Suppuratione abundantissimâ et longo tempore fluente apud invalidum cacochymumque, martis cinchonæque præparationes ingerendæ sunt.

Si colliquativa diarrhæa atque marasium supervenerint, illis bolus ex opii gummoso extracto gr. 1/2 et zinci sulfate gr. 1, commixtis ter vel quater per diem porrectus, sæpissimè finem imposuit.

Denique, si viscerum accendant inflammationes, accomodatis remediis debellabuntur.